



Summa Disputationum.

1. Idea fundamentalis.

2. Observationes Barometrico-Meteorologica & epidemica Italica.

3. Ephemeris Barometrico-Meteorologica.

4. Demonstrationes physicae curiosae Experimenti et Observationibus mechanicis ac chymicis illustratae.

5. Beschreibung des Salzstoffs in Salze.

6. Gründliche Untersuchung von der Lust natürl. und künstl.

7. Gründe und gründliche Untersuchung, wie bey jenen gefährlichsten grassirenden Seuchen nur jählich sein mag. Medic. S. 1. etc.

8. Theoremata physica conuallentia fundamenta novae Symplicios omnia corpora naturalia constare ex mat. g. etc.

9. Refutatio examinis de pulsu caleri et frequenti.

10. De officio boni Theologi ex Idea boni Medici.

11. De rationis instructae Excellentia in Rebus Divinis et Humanis Oratio.

Xc. 38.

12. De Corporibus illorum principis et affectionibus.

13. Programma invitatorium ad praelectiones publicas et orationem habendam.




- 12) Propempt. i. aug. De saliva. it. De pane  
 21) De chebanica Fabrium Doctrina Hippocratica.  
 De anima et corporis commercio.  
 13) De vapore carbonum fossilium innocio.  
 14) De modo veterum balsamandi corpora.  
 15) De China China modo operandi usu et abusu. it. De  
 Fabrium nova hypothese.  
 16) Epistola Gratulatoria ad Barnstorffium.  
 17) Rünze Abbildung der Weyhen Geistl. Religion.  
 18) Tründ. untersucht von Nutzen und Gebrauch  
 des Labrad-Balsams und Lindmutter Spiritus.  
 19) Catalogus Dissert. Lucubr. etc.

NB. Adertio mechanica Philosophica  
 adversus Dñm Thomam Barrowum. 8. extat.

21

~~11~~  
~~11 - 28~~





I  
Co  
I  
U  
—  
A

50





8 8

FRIDERICI HOFFMANNI  
Ad  
Celeberrimi cujusdam Viri  
FUNDATORIS  
NOVÆ  
PHILOSOPHIÆ  
SPIRITUALIS

Scriptum

Brevis & modesta responsio

Cum

Vindicatione Philosophiæ experimen-  
talis mechanicæ,

---

HALÆ, LITTERIS SALFELDIANIS.



FRIDERICI HORNEMANNI

Gelehrten in dem Jahr 1784

FUNDAMENTA

NOVAE

PHILOSOPHIAE

SPIRITUALIS

Scriptura

et Mechanicae responsio

Cum

Vindicacione Philosophiae experimen-

talis mechanicae

HALAE, LITTERIS SALZBURGENSIBUS







Mathematices atque Physices Cultoribus

S. P. D.

FRIDERICUS HOFFMANNUS.



Onscripsi ut Professor Physices constitutus nuperrime Theoremata quædam mere physica, contra fundamenta novæ philosophiæ spiritualis, partim, quod hæc Cartesianæ, illique a celeberrimis Anglis magis excultæ dictæ mechanicæ adversissima multorum studiosorum animis infusa erat, partim, quod hæc hypothesis inscitæ fundamenta in explicatione rerum naturalium & medicarum prorsus manca ac trunca de novo sterneret. Feci id inductus solo amore veritatis, quam vi conscientiæ ac officii mei defendere actueri a crassissimis erroribus obstructissimus fui. Ut autem evitarem omnes lites ac rixas, ad quas ingenium meum non natum est, amice indicavi propositum Celeberrimo Viro Autori, ipsumque ad mutuuum colloquium disputatorium, ut magis veritas eniteret, simul invitavi, quinimo, ut ipsum magis ad colloquium illud adstringerem, ipsi publice pollicitus sum, me descensurum fore in ejus opinionem, si probare poterit claritatem suæ hypotheseos; & ipse Celeberrimus Vir mihi hoc quoque promittens dixit, intra quadrantis horæ spatium totam rem posse confici. Postea præter omnem spem & contra datam fidem, loco apparitionis, scriptum aculeis non levibus armatum, quod non contra me speraveram, in ipso disputationis actu ad dispensandum tradidit,

A 2

dit,



dit, non obstante, quod duos ante dies per Amicum ipsum monuissem, & instanter petuissem, ut a proposito abstinere & per amicam collationem rem componere velit, ne Princeps irascatur, ne scandulum fiat, & exteri vel malevoli latentur nostris dissensionibus. Scriptum hoc sane indignissimum est tanto Viro tam quoad ipsos aculeos, quam quoad ipsas res, quæ quam vilis momenti sint, & contra omnia principia physices rationalis & experimentalis, non tantum iudicio acutorum Philosophorum, sed saltim statices ac physices tyronum relinquo. Loco solidæ refutationis & rationum valentium contra theoremata quæstiunculas innumeras otiosas, inutiles & captiosas proponit, variasque ponit antitheses, quas si examinare vellem, & sufficienter ad quæstiones respondere, operosum incresceret opus. Præterea Celeberrimus Vir corollaria quædam ad hoc negotium non spectantia, & ante plures menses in schedula coniecta, nec ad docendum, sed disputandum exercitii causa proposita, identidem examinare intendit quæstionibus intricatissimis, non alium in finem, quam ut farragine & mole harum quæstionum me a scopo controversiæ vero abducatur, & auditoribus suis rerumque physicarum ignaris imprimat, se invicibilem esse, & nunquam errare posse.

In principio præfationis scribit, propalatum fuisse a Dominis meis Commensalibus, quod vellem hypotheses de homine & ejus partibus impressas, sed nondum publici juris factas, refutare & perniciem illarum ostendere. Pro injuria id sibi sumunt, quod hoc propalaverint, cum nunquam hoc ipsis dixerim; neque id factum est, nunquam enim in animum induxi, illa quæ de homine & ejus partibus habet, quoniam maxime ad Theologiam spectant, refutare, sed saltem physica, & quidem talia, quæ abunde in collegiis suis docuit & partim in ipso *noto scripto* continentur. Excusationes & causas, cur non apparuerit verbosa prolixitate, uti ejus mos est, recenset, sed quæ tam infirmæ sunt, ut etiam ille, qui simplici saltem spiritu & intellectu gaudet, illarum debilitatem cognoscere



fcere possit. Notum quippe est, intra moram unius horæ per colloquium plures terminos & quæstiones explicari ac solvi & de veritate conveniri posse, quam per literas intra longum temporis spatium. Porro me ceu autorem rixarum & imprudentiæ accusat; quivis autem sapiens iudicium hic ferat, utrum ille sit autor rixarum, qui ad officium professionis physicæ constitutus peregrinas opiniones mere physicas placidissime sine minimo aculeo, sine mentione Autoris vel loci, ubi hæc surrexerint, breviter, realiter & modeste examinare & convellere in disputatione vult; an potius ille autor rixarum, & imprudenter sese gesserit, qui contra Principis voluntatem contra statuta Academica alienis sese immiscet Professionibus, ibi nova fundamenta ac principia condere veritati adversissima conatur, illa diffuse propalat, colloquium de horum ventilatione respuit, invectivis adversarium aggreditur & quæstionum maleferiatarum farragine litem protrahere tentat. Scribit, se veritum esse, ne in disputatione prostitutio fieret, sed vereor, apud externos & eruditos philosophos majorem Celeberrimi Viri jam prostitutionem factam fuisse per ejus scriptum. Conqueritur, quod non sincere recensuerim ejus hypotheses, hinc coactus fui, ex ejus scriptis & collegiis inferius ad verbum adscribere, & quod triplicem in homine statuatur spiritum, elicere. Porro conqueritur, quod ego ipsum non patiar auditores suos principis philosophiæ imbuere: Si vera sunt, lubentissime hoc patiar; sin autem falsa, tunc quando amat veritatem, contradictionem lubentissime ac æquisimo animo ferre debet. Denique se plus centum quæstiones habere, si velit intelligere mea principia physica, scribit. An putat Vir Celeberrimus, acumen ingenii esse, quæstiones vel mille inanes formare contra quasdam positiones; majoris rem artis esse credo, unico vero ratiocinio falsitatem propositionis demonstrare; illud faciunt sophistæ, hoc docti & sinceri homines.



In fine præfationis Celeberrimus Vir injuriam sese præbet contra me, dum diffamat, Non neminem esse, qui actionem conditionis rei suæ adversus me paret ratione fundamentorum Medicinæ nuper editorum. Ego probe rerum mearum conscius non possum credere talem esse, expectamus autem illius actionem, & sufficienter respondebimus. Lubens fateor, non in hisce fundamentis, ubi innumeræ res occurrunt, me plane nova & inaudita posuisse, verum receptas & jam notas præstantissimorum Medicorum ac Professorum opiniones, definitiones, observationes tradidisse, multa tamen de meis addidi: Et maxime ordinem, methodum facillimam mihi ipsi vendico. Denique injuriam se mihi præbet, me sub fide silentii communicatos quosdam sui ingenii fœtus tanquam meos luci exposuisse publicæ; Cur non indicat, quinam illi sint, cur non mentionem injicit in sua examinatione Corollariorum? Plura sæpiuscule cum ipso locutus sum de spatio, corpore, spiritu, materia, & non nisi entia rationis percepi, & fructus meræ imaginationis. Nunquam audivi novum inventum, experimentum & rationem novam explicandi aliquod phænomenon. Cur non a me mutilatos istos fœtus integros ac vivos in lucem ponit, ut omnes admirari possent tantam inventionem, tantos exclusos ingenii partus.

Quod attinet ipsam tractationem Corollariorum, illa jam huc non spectant, sed tunc temporis ad cathedram, ad quam Celeberrimum Virum non semel, sed sæpius instantissime invitavi. Veritatem tamen illorum, paucissimis exceptis, alia tempestate vindicabo. Ulterius, quod ad antitheses Theorematum & quæstiones annexas attinet, quod ad eas non respondeam nemo mihi vitio vertet, dum Celeberrimi Viri scopum apertissime video, quoniam quærit involvere controversiæ statum hisce quæstionibus ac difficultatibus, ne veritas in apricum veniat. Denique plures petere deberem explicationes terminorum, & solutiones contradictionum in  
ejus



ejus thesibus & anthithesibus contentarum. Porro si ad quæ-  
stiones respondere vellem, cresceret operosum scriptum,  
ad quod si deinde reponere vellet, uti hic facit Celeberrimus  
Vir ad unam paginam, quinque, immensum scriptum  
fieret, & veritas saltim sic magis tegetur. Tandem pro-  
voco ad omnes eruditos viros, Celeberrimum Virum pro-  
fus ignarum esse rerum physicarum, principiorum mecha-  
nicorum staticorum, vix illum librum Philosophiæ Experi-  
mentalium intelligere posse: Sic ergo ille me non intelligeret  
iterum & mox novas explicationes peteret, sicque lis protra-  
heretur in infinitum. Ne autem possit persuadere aliis, cal-  
vam hanc esse excusationem, paratus sum ad colloquium,  
quod semper alias urgere solet, vel germanico vel latino  
idiomate instituendum vel privatim vel publice in præsentia  
doctorum Virorum, ubi veritatem meorum theorematum &  
hujus scripti apertissime demonstrabo, ad quæstiones ejus, si  
opus est respondebo, & absurdissimas hypotheseos suæ dedu-  
ctiones monstrabo, ipsumque in contrarium convincam per  
experimenta & rationes.

Quod attinet ejus *postulata*, quæ ceu prima & verissima  
præsupponit, & quibus reliqua superfertur, nego illa peni-  
tus a sexto ad XII, donec mihi prius definiverit motum,  
deinde explicaverit, quid per actionem & passionem in corpo-  
re intelligat? quid per movere, moveri ab alio, in alio, in se  
ipso, movere in se ipso & has notiones rebus applicaverit.  
Deinde dicat, quid sit quies? quid quiescere? Annon putat  
Celeberrimus Vir? quietem etiam esse motum & actionem,  
& corpora, quando quiescunt, movere, item resistantiam  
esse motum. Hæc ipsa paradoxa apparent, demonstrabo au-  
tem ratione, & ad oculum per experimenta. Prius Celeber-  
rimus Vir addiscere deberet statica principia mechanica, an-  
tequam *postulata* quædam de motu dare vellet.

Ut



Ut autem eo melius pateat veritas, & controversiæ nostræ status eruditis, rerumque harum gnaris innotescat, breviter fundamenta novæ hypotheseos, uti illa collegi ex scriptis ferme in omnium manibus versantibus, ad verbum hic apponam, illaque formaliter sic destruam.

(1) Dicit; *Corpus omne consistere ex materia & spiritu.*  
*Spiritum dicit esse ens activum seu potentiam activam moventem, materiam autem ens mere passivum.*

Opp. Quodcunque principium corporum naturalium nec sensibus nec ratione demonstrari potest, nec mente concipi vel definiri, quid sit? illud est imaginarium nec potest esse principium corporum naturalium.

Atqui Spiritus corpus constituens est talis. E. Major est clarissima; Minor probatur; quia Spiritus ille in sensus non incurrit, nec a priori nec a posteriori, rationes quas afferre poterit pro spiritu demonstrando, explicari possunt ex materiæ varia dispositione.

Instabit Vir Celeberrimus: *Esse ens activum, Verum:*

Quodcunque est ens activum, illud est Spiritus

Figura particularum in corporibus est ens activum. E. Conclusio est absurda. E. vel major vel minor. Non minor, E. propositio major, quæ Viri Celeberrimi est. Minor innumeris experimentis probari potest, figuram corporum esse activam. Actio enim est scindere, pungere; jam autem culter, acus, nisi sit acuta & talem habeat figuram, id non facit. Venena propter acies & cuspides discidunt, tunicas ventriculi corrodunt; Salia corrosiva acida propter figuram triangularem acutam corrodunt cutim; Item liquores solventes & menstrua propter diversitatem figuræ solvunt metalla, sic aqua fortis Lunam, non autem Aurum solvit, e contra Aqua regis aurum, non autem Lunam, & figura si immutatur & obtunditur, omnis perit actio. Deinde omnis secretio est actio, & discernere est agere; jam autem si per cribrum, quod foramina habet rotunda, immittuntur corpora diver-



diversissimæ figuræ, illa saltem, quæ simili rotunda figura gaudent, transibunt, reliqua non.

Dicit: *Spiritum esse potentiam activam moventem.*

Opp. (1) Omne posse præsupponit esse. Dicat itaque quid sit spiritus? non quid possit.

11. Ubiunque est potentia activa movens, ibi est spiritus. In horologiis & aliis machinis est. E. potentia activa movens & vis illa in horologiis & machinis elasticis est spiritus. Conclusio est absurda. E. una præmissarum, non minor, quæ est verissima, quia dependet illa vis a figura spherica pinnularum. E. necessario Celeberrimi Viri definitio.

Instabit: *Spiritum esse potentiam activam moventem & simul illuminantem;*

Quæritur, quid hic intelligat Celeberrimus Vir per lumen? si illud, quod in sensus incurrit, est corporeum. Si autem per lumen intellectum vel instinctum quendam naturalem, uti sese explicat in suis scriptis, jam quæro, unde sciat, arbores, lapides, mineralia habere talem instinctum naturalem? aut debet hoc scire vel per sensus, vel per rationes, vel per conscientiam. Non autem per sensus nec per rationem, cum illud non concipere potest, nec per conscientiam, non enim ipse lapis vel arbor fuit Celeberrimus Vir, ergo profus nescit. Instabit.

In hisce creaturis latitare antipathias & sympathias. Opp. Si omnes effectus corporum naturalium, qui sympathiæ & antipathiæ a veteribus adscripti sunt, possunt explicari ex magnitudine & figura materiæ adeoque mechanice, sequitur, quod non instinctui vel lumini naturali sint adscribendi.

Atqui verum est prius. E. & posterius.

Instat.

Magnetem cum ferro habere sympathiam; raphanum rusticarum habere antipathiam contra calculum.

Resp. Quod attractio sic dicta ferri ad magnetem non occulta quadam, sed aperta peragatur qualitate, acutissime

B

ac la-



ac latius demonstravit *Cartesius*. Deinde, si magnes ob spiritum quendam attraheret ferrum, sequeretur, quod illa actio a spiritu non possit impediri, quia spiritus omnia penetrat, jam autem potest impediri per alium situm, per inunctionem sevi, E. non fit a spiritu, sed a corpusculis.

Quod raphanum rusticanum attinet, quem scribit Celeberrimus Vir habere antipathiam contra calculum, cur non contra stomachum? quia ille raphanum non bene ferre & concoquere potest, hinc ructus male olentes excitat. Quod autem contra calculum efficax sit, hoc non ob singularem spiritum, sed ob sal volatile sulphureum accidit.

Forfan regeret, corpora debere esse integra quæ ex spiritu & materia sint conflata, sed dicat mihi, quænam corpora sint integra, quænam non? annon frustrum magnetis in partes dividi potest, quæ omnes sunt integræ, & ferrum attrahunt, & ad polum sese convertunt? Si itaque actio illa attrahendi est a spiritu, sequitur quod quævis pars magnetis habeat suum peculiarem spiritum adeoque in frusto magno magnetis innumeri sint spiritus. Instabit forsan porro, se intelligere corpora animata, quæritur? quid hic intelligat per corpora animata, ane omne corpus juxta suam opinionem, habet materiam & spiritum? an forsan illud dicit animatum, quod vim habet sese multiplicandi, hinc lapides, metalla, & mineralia non erunt animata, pro quibus tamen illa habet; quia carent femine, seu vi sese multiplicandi. Deinde debet scire in feminibus vegetabilium & animalium jam totius animalis & plantæ rudimenta ac lineamenta exacte latitare, uti id Celeberrimus Malpighius & Dominus Grevius manifestarunt.

II. Statuit; *Materiam esse ens mere passivum, materia oppositum autem esse spiritum seu ens activum.*

Si



Si mentis abstractione & mathematice consideramus materiam secundum suam longitudinem, deinde latitudinem & tertio profunditatem est ens passivum, si autem physice consideratur, quatenus est in mundo, formata, nil nisi corpus est seu ens extensum in longum latum & profundum, certa vi premendi, seu nisi quodam à DEO dotatum, adeoque activum, ita tamen ut certo respectu corpus juxta aliud corpus positum & simul agat & etiam patiatur, hinc malleus incudi applicatus & agit & simul patitur, quamvis actio a passione mente abstrahi possit. Sic quoque unus globus impulsus alterum adjacentem etiam impellit & sic patitur & simul quoque agit. Materiam oppositum esse Spiritum negamus, materiam oppositum est non extensum; illud autem non statim est spiritus, alias entia rationis, quæ non sunt materialia, essent spiritus; si materiam oppositum esset spiritus, impulsus quoque externus corporum aliis corporibus communicatus, quique illa ad motum determinat, esset etiam spiritus, quia non est materialis, licet a materia fiat.

III. Dicit: *Movere & omnium actionum predicata pertinere ad Spiritum, nimirum extendere, unire, dividere, illuminare, calefacere; è contra uniri, extendi, dividi, illuminari, calefieri, pertinere ad materiam.*

Opp. Si omnis actio v. gr. uniendi, dividendi, calefaciendi pertinet ad spiritum, sequitur quod actiones medicamentorum, dum calefaciunt, resolvunt, sudorem pellunt, humores coagulant & uniunt, deducendæ sint a spiritu. Posterius est absurdum, quia modum operandi & agendi medicamentorum exactissime demonstrare possumus ex materia varia dispositione, magnitudine figura textura E. & prius erit absurdum. Porro, si actiones omnes a spiritu essent, sequeretur, omnes causas morbosas esse spirituosas, & suam activitatem habere a spiritu, & quoniam diversissimæ sunt



illæ causæ, diversissimi etiam essent spiritus. Posterius est absurdum E. & prius.

IV. Scribit, *Spiritum, qui in reliquis creaturis & in homine tantum gradu differt, constare ex amore & lumine; Amorem autem in creaturis dicit sympathiam & lumen instinctum naturalem.* Quæritur hic, an illa, quæ tantum gradu differunt etiam essentia differant? si non, spiritus creaturarum, etiam esset immortalis non secus ac anima rationalis hominis, & creaturæ, lapides, metalla essent quasi mentes corporeæ. Quod attinet *sympathiam & antipathiam* supra jam responsum dedimus, hæc enim mera sunt cerebri figmenta.

V. *Si motus omnis a spiritu est, uti est, & spiritus est ens activum uniens materiam ab intra, unio autem sine attractione concipi nequit, sequitur omnino, attractionem aque competere spiritibus ac pulsionem;* Jam quæro, annon omnis actio, quæ dicitur attractio fiat uncis vel hamulis? & annon putat, illam tractio- nem etiam speciem esse pulsionis? quia in omni pulsione corpus impellendum debet esse antrorsum constitutum, pellens autem retrorsum, hinc nulla datur attractio in rerum natura, aut concipere aliquam V. C. potest, ubi pellens antrorsum, pellendum autem retrorsum? adeoque.

Quodcunque nec concipi potest, nec demonstrari, illud nihil est.

Atqui attractio talis est. E.

Quæ de unguibus avium & vitro illo, quod ad os applicare vult, Celeberrimus Vir adducit, ridicula sunt, & tam speculativo viro indignissima. Solus respondens in disputatione potuisset hoc dubium solvere: & omnibus tyronibus notum est, ab impulsu externo aëris & interno vitri aëre per inspirationem in cavitatem pectoris cedente hunc effectum dependere. Deinde, an concipit V. C. spiritum habere tales ramulos vel hamulos, qui uniat materiam? Porro, an pu-  
tat



tat V. C. quando acidum lac unit ac coagulat ratione spiculorum tricuspidalium, quæ ad oculum demonstrari possunt per microscopium, fieri etiam per spiritum? Item quando duo plana ac polita corpora sibi invicem cohærent, ubi hic est spiritus? cur non corpora, quæ non talem habent planitiem, etiam cohærent?

VI. *Aura, aër purus, ather non est aliquid materiale, cum potius lux & ather sint spiritus.* Dicimus

Quodcunque habet gravitatem, quodcunque potest refringi & reflecti & in motu impediri, illud est corporeum.

Atqui ather, lux &c. E.

Major est verissima, minor probatur per vitra caustica per colores & per omnia experimenta optica. De atheris gravitate ingentem scripsit tractatum *Bernoullius Mathematicus nostri temporis Princeps.*

*Reget:* Non posse dari ulnam vel cyathum lucis, sane ex magna ignorantia physices fluxit hæc objectio, an effluvia ex corporibus odoratis emanantia ob hanc rationem sunt spiritus? quia non possunt dari ad ulnam.

VII. Scribit, *Hominem constare ex tribus partibus, corpore, anima & spiritu. Corpus voco materiam in homine a spiritu animali apte dispositam ac effabricatam, ut spiritus animalis functiones & virtutes suas ac motus continne exercere possit, Animam vero (ΨΥΧΗ) spiritum, quem homo cum aliis sublunariibus potissimum creaturis communem habet, corpus hominis variis virtutibus ac motibus in creaturis afficiens. Spiritum (Πνεῦμα) dico spiritum divinum hominis, animam a motu & inclinationibus creaturis advertens ad DEUM.* Negavit Vir Celeberrimus in scripto, se triplicem spiritum statuere, si autem corpus habet spiritum & anima spiritus est, & Πνεῦμα spiritus, omnino triplex erit spiritus. An putat, pneuma non pertinere ad hominem irrogenitum? si hoc, cur hominem dicit



dhuc hujus spiritus habere scintillam? annon scintilla hæc differt essentia a spiritu nec ne? Sufficit Celeberrimum Virum statuere triplicem spiritum in hominibus piis. Porro necesse est, ut quoque Vir Celeberrimus statuatur innumeros spiritus in corpore humano, quia quævis pars solida, quodvis viscus, omne os, omnis glandula suam peculiarem habet actionem, peculiariter est constructa & composita, hinc cum actiones & uniones sint diversæ, necesse est, ut diversi etiam sint spiritus.

Concludo tandem hoc Syllogismo:

Si omnes rerum naturalium effectus, actiones & phænomena, quæ Celeberrimus Vir spiritui adscribit, possunt explicari ex dispositione varia materiæ ratione magnitudinis figuræ diversæ, sequitur, quod philosophia mechanica spirituali illi philosophiæ sit præferenda:

Atqui. E.

Breviter sic discussa nova hypothesi, provoco jam ad judicium Physicorum eruditorum, annon nova hæc hypothesi sit imaginaria? annon pestis in physica & medicina? annon omnia veterum asyla ignorantia denuo resuscitet? Et annon Celeberrimus Vir hoc scripto crassissimam suam ignorantiam physicam proderit coram toto mundo? qui Cartesianos refutare vult & philosophiam mechanicam destruere, cum tamen nunquam legerit vel intellexerit Cartesii principia physica, Boylei scripta & innumeros alios doctissimos libros; nam si intellexerit, impossibile esset, ut tam absurdum judicium foveret de illis: Ægrotantis rationis partus diceret vortices, cylindros aeris &c. Et tandem annon intempestivus pruritus & præcipitantia fuerit? Contradictiones velle elicere ex philosophia mechanica, quam novam elastico-corpularem appellat; cum tamen historiam physicam & experimentorum, quæ physices anima sunt, rationes, prorsus ignoret.

Hæc



Hæc si iterum Celeberrimus Vir aggredi velit decem mille quaestionibus, quæ arma ejus sunt expolita, vii in publica schedula scripsit, ut apud vulgum saltim famam aucupetur, non respondebo, & vix lectione dignabor, ne mentis meæ tranquillitatem turbem & tempus inutiliter teram; omnes quoque aculeos, injurias etiam acerbiores æquisimo animo & contemptu cum aliis me majoribus feram: bene gnarus, Celeberrimum Virum ex habitu quodam acquisito nec aliter scribere vel loqui posse, & dum putat se placidissime scribere, acerbissime id facit. Sincere autem hoc ipsi consilium do, quoniam toties sancte publice promisit, se velle abstinere a tali scribendi aculeato genere, & forsan invita ejus voluntate id facit, ut imposterum semper scripta sua edenda piis Theologis tradat, quo illa purgentur a pravæ carnis stimulis & inutilibus verbis. Tandem non possum non quædam reponere ad ea, quæ in ultimis paginis exstant, nimirum familiares meos credere, me fundamenta Chymicæ & aliarum disciplinarum ignorare; Pro injuria id sibi sumunt, quid in Chymia præstiterim, judicent doctiores ex meis scriptis jam & ante duodecim annos editis. Denique putatne Vir Celeberrimus fundamenta harum disciplinarum realium tam celeriter posse confici & conscribi, quam grillos Logicos Ethicos & methaphysicos in magnos libros posse colligi.

Denique quod attinet Viri Celeberrimi annotationes ad ultima verba theorematum meorum, dico sincere & aperte & testantur id omnes mei familiares philiatri, me in gratiam Celeberrimi Viri hæc saltim posuisse, quoniam percepi, se scriptum machinari contra me, & velle contradictiones ex hisce theoremaribus & fundamentis Medicinæ elicere. Ut itaque a proposito deficiat, jam disputatione confecta adjeci ultima verba & Viro Celeberrimo ad inspiciendum tradi curavi. Semper autem illa principia, quæ saltim sine secundo




dario ad explicationem meliorem fundamentorum Medicinæ  
adjecta sunt, defendam & a contradictionibus vindicabo de-  
centi explicatione. Monstret deinde mihi, an illis principiis,  
in quibus putat contradictiones inesse, aliquid superstructum  
sit vel fuerit in Medicina.

Hæc sunt, quæ ad incitamentum C. V. & pro defenden-  
da mea Professione & fama reponere debui & volui. Doleo  
dissensum ortum fuisse, quem non prævideram, quoniam ex  
meo ingenio C. V. judicabam, quod contradictiones non  
ægre sit laturus circa talia, quæ ignorat; & peto, ne mihi vi-  
tio vertat, quod de ejus ignorantia in physica id scripserim,  
non aliter potui, nec enim turpe est, Idem nescire intimio-  
ra physica, cum alias in cæteris disciplinis Vir Celeberrimus  
magnum lumen audiat. De cætero semper mihi placebunt  
Viri Celeberrimi conditiones & regulæ præscriptæ & adhuc  
præscribendæ pro collatione & discussione ultiori rerum ha-  
rum amica, & omni tempore animum in me  
deprehendet sincerissimum.

FINIS.













Ma 6063

ULB Halle

3

002 161 265



sb

1717




11/17











B.I.G.

Farbkarte #13

8 8

HOFFMANNI

Ad

cujusdam Viri

ATORIS

VÆ

SOPHIÆ

TUALIS

riptum

odesta responsio

Cum

olophiæ experimen-

mechanicæ,

---

RIS SALFELDIANIS,

